



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XV. De Venditione hordei virtute germinandi destituti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

mercatores, & plus apud istum insistere omisit, infidelitatis in milites commissæ reus; & hinc ad excessum hunc injustè obtentum condemnandus.

¶ 6 Cùm igitur milites sint in possessione suæ pecuniæ, ex altera verò parte dubium, imò probabilius sit, quòd mercator ex suo hanc donationem non fecerit, restituendus hinc totus excessus pauperibus militibus erit, quorum ut possidentium melior est conditio; cùm isti perversi & Dominis, quorum negotium agitur,

summè noxij modi nequaquam tollerandi sint. ita Molina de J. p. tract. 2. Disp. 363. ad finem.

Dices, mercatorem bene ad vertisse, quòd sibi hunc excessum Commissarius donatum velit in compensationem gratiæ mercatori factæ, accedendo illius tabernum potius, quam aliorum: ergo in hoc consensit. ¶ mercatorem duntaxat poruisse aliquid remittere de justo ad se spectante pretio: probandum itaque, & certum debet esse, quòd propositum in mercatore pretium fuerit justum.

## CASUS XV.

*De venditione hordei virtute germinandi destituti.*

**C**Ajus, licèt optimè ab experientia sciret, hordeum suum ob corruptum punctum germinans virtute germinandi destitutum esse; plures tamen illius scaphas cuidam praxatori, seu coctori cerevisiæ, vendit pretio corrente, quin eundem de hoc defectu certiorum fecerit.

Q. 1. Num de ordinario pretio oblatens hoc vitium fuerit aliquid remittendum?

Q. 2. Num valida fuerit hæc venditio à defectu conscio venditore facta?

Q. 3. Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus extitisset?



## SYNOPSIS.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

*Num de pretio ob latens hoc vitium, fuisset aliquid remittendum?*

1. Aliquot circumstantiæ, quæ in hoc casu sunt observandæ enumerantur.
2. Defectus virtutis plasticæ, si de hoc emens interrogaverit, manifestari debuit.
3. An huius virtutis defectus pro vitio in hordeo sit habendus?
4. Substantialis qualitas erit, si ad finem emptionis intentum unice serviat.
5. Finis ab ementibus intentus ex quo colligatur.
6. Perpensis omnibus circumstantiis patet, nostrum emptorem intendisse confectionem cervisæ.
7. Ob latens vitium nunquam minuendum erit rei pretium.
8. Quod in hac emptione oportuisset fieri.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num valida fuerit hæc emptio, à defectûs conscio venditore facta?*

9. Error circa substantiam invalidat contractum.
10. Virtus plastica hordeo inexisteret erat conditio sine qua non.
11. Probabilis contractus iste omnino nullus & irritus simpliciter fuit.
12. Finem ordinariè & communiter intendi solitum, & ab emptore principaliter intentum spectare venditor tenetur.
13. Eadem qualitas potest esse substantialis respectu unius, non tamen alterius contractûs.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus exiisset?*

- |   |   |
|---|---|
| 14. Venditor tacendo vitium dolosè induxit eumentem.                                  | 17. Si ad specialiter intentum sit inutilis.                              |
| 15. Etiam bona fide venditoris celebrata talis distractio fuisset nulla.              | 18. Vitij hujus ignarus venditor nullum damnum tenetur emptori refundere. |
| 16. Non sufficit, ut valeat venditio, rem venditam ad aliquos suos fines esse utilem. | 19. Sola taciturnitas non excusat venditorem à mala fide.                 |
|   | 20. Intentio emptoris sufficienter constabat venditori.                   |

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

*Num de pretio ob latens hoc vitium fuerit aliquid remittendum?*

- E**X undecimi casus resolutione constat alia vitia in substantia, nonnulla in quantitate, alia in qualitate. Secundò, ibidem etiam inuimus, vitiorum alia esse occulta, alia patentia. Dubium itaque modò superest, utrùm corruptio virtutis seminalis in hordeo sit vitium quoddam substantiale, aut solummodo accidentale? item utrùm de hac virtute, num scilicet adhuc insit gravis venalis hordei, ipse venditor interrogatus fuerit, vel non.
- Sive autem defectus, & destructio virtutis seminalis habetur pro substantiali, sive pro accidentali quodam vitio, debuit tamen hæc destructio, tanquam vitium quoddam intrinsicè emptori à vendente, si iste de hoc fuerit interrogatus, manifestari, ne amentis dolo, atque deceptione ad emendam rem vitiosam non sine suo damno induceretur, sed quod reparandum, etiam vendens in conscientia erit obligatus, si variè amphibologijs, aut mendacijs ve-



ritatem interrogatus occultaverit, uti docet communis cum Molina *disp. 353. in prima concl. & Salas dub. 35. n. 4.* Ratio hujus est, quia tacendo defectum, causavit omne postea subsecutum emptori damnum.

3 Viderur tamen non immeritò controversum esse, num defectus iste virtutis seminalis simpliciter pro vitio sit habendus. Si enim de reliquis frumenti speciebus loquamur, emens v. g. triticum, avenam, far, nequaquam inquiratur, num punctum germinans necdum corruptum sit. Imò nec minimum quid de pretio aliàs justo deirahitur, licet probabilissimè ob verustatem frumenti judicari possit, virtutem illam plasticam penitus corruptam fuisse.

4 Quia autem potest contingere, ut certus quidam defectus non censetur esse substantiale, imò omnino, saltem à potiori loquendo, nullum vitium; si tamen sit quaedam singularis qualitas per se ejusmodi rebus innata, & ad certos fines conducens, insuper ob solam istam aptitudinem ad ejusmodi finem obtinendum comparatur, tunc talis qualitatis defectus non immerito pro vitio, & quidem ad hunc finem substanti-ali habendus erit.

5 Hæc autem ementium intentio vel ab istis insinuari claris, & expressis verbis venditori poterit; vel ex natura, quantitate mercis, ex officio, opificio, aut statu

ementium statim colligi à vendente potest.

6 Si consideremus præsentem, de quo est quæstio, emptorem, qui est praxator cerevisiæ, naturam mercis, quæ est hordeum, ex se aptum, & summè necessarium ad coquendam cerevisiam; imò quantitatem emendi hordei, quæ ad plures medios vel scaphas ascende-  
debat; statim nobis hoc judicium formabimus, praxatorem hunc intendere emptionem hujus hordei in tanta quantitate, ut illo ad coquendam cerevisiam utatur; consequenter supposuisse in isto hordeo non deesse virtutem seminalem seu plasticam, qua si careret istud hordeum, foret ad finem, quem unice hac sua emptione intendebat, totaliter ineptum; licet tali hordeo uti forsitan posset ad alios quosdam fines, ut ad pinfendum panem, pascendas gallinas, anseres &c. quos tamen hic & nunc neutiquam intendebat: vel si etiam aliquatenus intendisset partem quandam valde modicam in hos fines applicare; in tanta tamen quantitate atque copia hordeum certissimè non emisset.

7 Prima itaque quæstio nunc movetur, an hordeum istud, ab emente hujus defectus optimè conscio, communi, & tunc currente pretio potuerit vendi, & non potius ex ordinario pretio debuerit aliquid remitti: communis enim Doctorum sententia docet, etsi

Cc 3

occult



occulta cujusdam mercis vitia manifestari in omnibus circumstantijs non debeant, ejusmodi tamen defectuosas merces, si ementi minus commoda futurae sint, sine injuria tanto pretio distrahi non posse, quanto si vitiosae non essent, absolute vendi potuissent. Ad hanc

8 Dico, licet nihil de pretio consueto fuisset remittendum, si pistor hordeum istud pro se emisisset, de quo constabat, quod eodem cum alia specie v. g. tritici permisso ad pinsendum panem usus sit; in hoc tamen casu de pretio consueto aliquid remittendum erat. Prob. in hoc casu emptor damnificatur, & illud commodum, quod praxatores primario intendunt, consequi non potest, & hinc hordeum contra suam voluntatem impendere ad illos fines, quibus ad emendum hordeum omnino nunquam, vel saltem in tanta quantitate non permotus fuisset; consequenter aut viliores pretio illud alijs vendere, aut sine fructu, & utilitate ad longius tempus domi in granario asservare de-

bebit, quae incommoda non solum levia diminutionem consuevi aliam pretij jure merito videntur exigere, ita ut praxator illud corrente pretio nequaquam emperurus fuisset, licet etiam cognito hoc vitio ad illud comparandum simpliciter induci potuisset: hinc excessus ille, qui remitti de corrente pretio debuisset, ad minimum decepto praxatori a venditore restituendus erit. Ita sentiunt Molina disp. 346. Palao de Just. disp. 5. pu. 35. n. 1. nam vi Legis Julianus: §. si venditor ff. de actionibus empti: si laesio ex dolo, aut fraude provenit, agere laesus poterit ad rescindendum contractum, vel pretium supplendum. Neque dicas, nullam fraudem intervenisse, eo quod vendens tacuerit, nec positive affirmaverit, hordeo inesse virtutem plastificam: contra enim est: quod ipse venditor in hoc casu debuisset vitium etiam non interrogatus manifestasse, aut leviores, quam ordinario pretio suum hordeum distrahere.



## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num valida fuerit hæc emptio à defectûs conscio venditione facta ?*

**D**issoluta hac prima quæstione alterum oritur dubium, num hæc venditio fuerit absolutè valida, & non simpliciter irrita atque nulla. Si ponatur, defectus ille fuisse substantialis, omnes illum contractum invalidum declarabunt ob defectum consensûs ex emptoris parte requisiti. cum autem difficile sit probare virtutem plasticam ad substantiam frumenti reducendam esse, hinc omisso isto dubio.

**Dico 1.** Licet virtus plastica, vel punctum germinans non esset de substantia hordei, in hac tamen emptione virtutem illam fuisse qualitatem, & conditionem, sine qua emens praxator haud consensisset in hunc contractum. prob. finis ab emptore per hujus hordei emptionem unice intentus, erat comparare materiam aptam ad coquendam cerevisiam: ergo unice intendebat emere hordeum, quod esset aptum ad coquendam cerevisiam nigram: consequenter huic aptitudini, tanquam conditioni, sine qua non emisset hordeum alligavit suum consensum, hunc contractum aliàs non celebraturus. sed ut hoc hor-

deum esset materia ad coctionem cerevisiæ nigræ apta, debebat illud habere virtutem istam plasticam: ergo intendebat emere hordeum præditum hac virtute plastica: ergo hæc erat conditio sine qua non.

Confirmatur ex P. De la Croix, si Sacerdos intendit emere pannum, quo se Sacerdotaliter vestiat, nigredo hujus panni est conditio sine qua non; ergo & hæc virtus &c.

**Dico 2.** Probabilius hunc contractum esse omnino nullum ac irritum. Probatur conclusio: si hic defectus fuisset substantialis, hæc emptio fuisset nulla: ergo etiam erit nulla, si virtus hæc plastica erat conditio sine qua non, cui suum consensum emens unice alligaverat; & tamen illa non extiterat: prob. cons. ideo in casu antecedentis contractus fuisset nullus, quia non datus fuisset consensus: atqui etiam in casu consequentis non dabatur consensus: ergo etiam non valebit: prob. min. emens praxator duntaxat consentiebat sub hac conditione, si hoc hordeum haberet virtutem plasticam, ut vi hujus



ius sit aptum ad coquendam cerevisiam : ergo si hæc conditio non fuerat impleta omnino non consenserat, ant. constat, hac enim ratione, & nulla alia hordeum conducebat ad finem, coquendam scilicet cerevisiam, ab emptore unice intentum. Prob. 2. quando vitium rei occultum est, substantiale. cuius ignorantia dat causam contractui, & tollit liberum consensum emptoris, venditio est injusta, sed in nostro casu defectus iste virtutis seminalis est substantialis : illius ignorantia dedit causam contractui, & sustulit liberum consensum emptoris : ergo &c. prob. min. quoad primum membrum : illud est substantiale contractui, in quod sua intentione contrahens fertur : sed praxator ferebatur in virtutem istam plasticam : ergo hæc erat substantialis prob. min. volebat emere hordeum ut cerevisiam posset coquere : prob. etiam secundum membrum : cum ille juxta dicta emerit hordeum, ut illo uteretur ad coquendam cerevisiam ideo solum emit illud, quia iudicabat, virtutem seminalem inesse huic hordeo : ergo si hæc non dabatur, hujus vitij ac defectus ignorantia dederat causam huic contractui, & sustulit consensum, cum errantis nullus sit consensus.

Confirm. juxta Dianam in *resolut. moral. part. 1. resolut. 39.* tunc dolus in occultatione defectus præbet causam contractui,

quando per defectum illum, qui occultatur, res inutilis emptori redditur, vel periculosa ; aut si non minuitur pretium ; sed hordeum redditum fuit inutile emptori ad finem, ob quem emerat illud, non ignorante, vel saltem prudentissimè hoc ipsum supponente venditore : ergo &c.

Confirmatur 2. Eidem Diana loco citato asserit nullam fore venditionem, si emptor explicet se nolle rem emere, nisi careat hoc vitio, & res isto non caruerit : ergo etiam hæc erit nulla. prob. consilicet praxator hanc conditionem expressis verbis neutiquam requisiverit, consideratis tamen omnibus circumstantijs patebat omnibus intentio illius : ergo &c. quia taciti, & Expressi eadem solet esse vis, ac efficacia.

Confirmatur 3. Si peregrinationem ad certum locum sacrum, qui distat 20. diebus promissus putans distare illum duntaxat itinere duorum dierum, error circa substantiam rei commissus iudicatur, & promissio fuisse ob hunc nulla, eò quod non solus adventus ad illum sacrum locum, sed ipsa quoque peregrinatio objecta mee promissionis fuerint : ergo etiam emptio erit nulla, si mea intentio non ferebatur in solum hordeum, sed in hoc, & simul qualitatem illam plasticam ; & circa hanc commissus quidam error fuerat.

Ob. hordeum carens virtute plastica in se, atque absolute specta-



Statum est utile, & neutiquam noxium: ergo contractus fuit validus, licet ad finem ementis non conduxerit venditum hordeum. Prob. conf. venditor non debet necessarîo spectare, & attendere finem ab emptore intentum: ergo, licet ad finem ab emptore intentum non fuerit utile hordeum, modò absolutè spectatum, & in se fuerit utile, contractus valebit. *u. dist. ant.* tale est utile in ordine ad finem, ob quem communiter solet emi; & hic & nunc unicè fuit emptum concio ipso venditore: neg. ad alios hic & nunc neutiquam intentos, conc. ant. & neg. conf. licet venditor non ad qualemcunque finem emptoris debeat attendere, si tamen hic & nunc ab emptore unicè intentus, ordinarius sit, & de hoc sufficienter venditori constet, rem ad finem ejusmodi aptam debebit petenti reddere.

§ 3 Ob. 2. Hic error non versabatur circa substantiam rei emptæ, sed circa solam illius qualitatem: ergo non erit contractus jure nullus: *u. dist. ant.* non versabatur circa substantiam mercis, seu hordei in se præcisè spectati; conc. hordei ut hic & nunc substantis huic emptioni, neg. quòd equus sit Hungaricus, Neapolitanus, Africanus, viderur esse quid accidentale, & minimè quid substantiale ad equum ut sic consideratum: cum autem ex ejus-

modi diversis regionibus oriundi equi varias, & singulares qualitates contineant, quæ emptores ad sui comparisonem movere possunt; hinc si quispiam intendat emere equum qualitatibus Africano Sonipedi proprijs, perfectiones istæ erunt respectu equi, cui, ut ex Africa oriundo à venditore inesse prædicantur, substantiales, & commissus circa illas error in ordine ad hanc emptionem substantialis agnoscitur à Valquez in 1. 2. disp. 30. n. 28. Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 2. num. 3. Lugo disp. 22. de Just. sect. 6. n. 93. ergo cum etiam praxator noster intenderit emere hordeum qualitate plastica informatum, ut ex illo coquere cerevisiam posset, error circa hanc qualitatem commissus pro substantiali in ordine ad hanc emptionem habendus erit. Quia intentio ementis hordeum intrinsecè fertur præcipuè, atque unicè in hanc qualitatem plasticam. Potest scilicet, prout optimè advertit Dicastillo de Just. lib. 2. tract. 3. disp. 1. dub. 6. aliqua circumstantia pertinere ad substantiam unius contractus, & habere se tantum accidentaliter ad alios contractus. Quænam autem circumstantia pertineat ad substantiam cujusdam determinati contractus, ex intentione ipsorum contrahentium desumendum erit.



## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus viij ignarus extitisset?*

34 **S**upposuimus in hæcenus disputatis venditorem non ignorasse, vendibile istud hordeum ob corruptam virtutem plasticam ad coquendam cerevisiam fore inhabilem, consequenter fraudulenter & dolosè praxatorem ad hanc emptionem in se nullam, atque invalidam induxisse; & cum nemini sua fraus prodesse debeat, ad reparationem decepto ex illa emergentium damnorum esse obligatum. Potuit autem contingere, ut ipse venditor nesciverit, nullam virtutem feminalem suo hordeo inesse, & hinc bona fide cum praxatore contraxerit, essetne etiam in hoc casu contractus nullus? ad quod

35 **D**ico, etiam talem bona fide venditoris celebratam venditionem futuram irritam, & nullam: ita tenent Sotus, Valentia: Dicastillo *traç. 3. de contract. in genere dub. 6.* Prob. etiam in istis circumstantijs circa substantiam fuit commissus error: nec dabatur illa conditio, cui suam intentionem emendi alligaverat praxator, fuitque ementis consensus involuntarius quoad substantiam: nec

consensisset in hanc emptionem ullo modo praxator, si defectum hujus virtutis feminalem agnovisset, licet emptor bona fide processisset: ergo non minus in istis, quam in prioribus circumstantijs, celebratus contractus foret invalidus.

**C**onf. etsi bona fide scyphum ex auricalcho factum venderem pro aureo; aut phialam vitream pro chrysellina, si tamen emens intendebat emere scyphum aureum, & phialam Chrysellinam, nulla foret emptio, eo quod error in substantia fuerit commissus: ergo si etiam hic talis substantialis error, licet bona fide, commissus fuisset, ille tamen contractus nullus foret.

**O**b, ut discernatur, num aliquid sit de substantia contractus, vel non, consideranda est materia venditionis non secundum se, sed quatenus utilis ille est in usu: ne ad communem usum, ad quem solet illa emi: cum ergo hordeum sit utile ad alios quoque fines v. g. pinfendum panem, pascendos illo anseres, gallinas, hæc similitudo erit de substantia frumenti: cum



cum ergo circa hanc nulla deceptio intervenerit, erit valida venditio, non obstanti, quod desit habitas ad coquendam cerevisiam, *¶* quod in Regionibus nostris, in quibus coquenda cerevisia praxis in usu est, hordeum vel maxime ordinari solet, praesertim a praxatoribus, ad coctionem cerevisiae: ergo, licet caeteri adducti fines etiam intenderentur ab ementibus hordeum, erit tamen utilitas, & aptitudo hordei ad cerevisiam coquendam ex principalioribus, quae intenduntur, qualitatibus, si hordeum in magna quantitate & a praxatore fuerit emptum, ergo si circa hoc deceptio intervenerat, fuerat ista circa substantiam.

*¶* 7 Urgeb. ex hoc tantum sequi, quod hordeum hoc fuerit minus utile; non autem, quod omnino fuerit inutile praxatori, jam enim eidem proderat ad pinendum panem, pascendos anseres &c. ad valorem autem venditionis sufficit, quod res vendita aliquibus, licet non omnibus finibus, ad quos per se est habilis, deserviat: ergo &c. *¶* dist. sufficit aptitudo ad aliquos fines, nisi specialiter sit intentus a vendente finis, ad quem per se ordinatur, hic & nunc autem est per accidens inutilis conc. si etiam iste sit specialiter intentus, & res ad hunc sit inutilis, negatur.

*¶* 8 Dico 1. Licet bona fide venditoris celebratus ejusmodi con-

tractus foret irritus, ad nulla tamen damna, quae ex illo forsitan ementi evenerunt, obligari distractor possit. Ratio est, quia haec damna eidem ob ignorantiam fuissent involuntaria: ergo satisfactum fuisset emptori, si eidem pretium a venditore pro reddito hordeo fuisset redditum.

Dices: etiam in priore casu in bona fide venditor fuerat, quia non positivè mendacijs, fraudibus, aut negando vitium occultum, induxerat emptorem, sed tantum non manifestavit, & quidem ideo forsitan, quia non fuerat interrogatus, occultum vitium: ergo fuerat in bona fide; quia non ultro manifestare vitium mercis cum suo detrimento venditor tenetur. *¶* neg. ant. licet enim positiva actione non induxerit, deceperat tamen illum suo silentio, optimè gnarus emptorem hac emptione a se damnificandum, eò quod hordeum inutile sit ad finem, ad quem comuniter in his regionibus ordinari solet, & ab hoc emptore etiam actu applicandum erat.

Dices 2. Emptor nullam mentionem exterius fecerat, quod suam intentionem alliger huic qualitati, & virtuti plasticae: ergo defectus hujus qualitatibus non obfuit, probatur conseq. contractus debent fieri modo humano, & nostra interior intentio signo quodam externo alteri manifestari, prout constat in matrimonio. *¶* dist. Dd 2

dist.



dist. ant. nullam mentionem ver-  
bis fecit, ita tamen, ut omnibus  
circumstantijs consideratis hæc in-  
tentio clarissimè potuerit colligi,  
concedo: ita ut hæc abfuerint:  
nego, ex eo, quòd praxator eme-  
rit tantam quantitatem in loco,  
ubi hordeum ferme unicè adhi-  
betur ad conficiendam cerevisiam,  
sufficenter constabat hæc intentio  
venditori, ita ut de hac dubitare

prudenter nequiverit. Denique  
huc quadrat, quod De la Croix  
lib. 3. part. 2. de contractibus ha-  
bet: scilicet in dubio præsumen-  
dum esse intentionem ementis ex  
communi usu aliorum hominum:  
atqui communis usus praxatorum  
aliorum est emere magnam quan-  
tatem hordei ad coquendam ce-  
revisiam ergo &c.

## CASUS XVI.

*De locato telonio.*

**T**ELonarius Principis telonium cum omnibus eidem à  
Principe annexis juribus; e. g. exercendi opificia  
lanionis, pistoris, vendendi carnes, panes &c. al-  
teri, Titio scilicet, locavit cum consensu principis  
erectoque desuper legitimo instrumento. Subinde Titius  
in gratiam aliorum pistorum à consilio aulico Principis pro-  
hibetur, ne jure suo coquendi panes utatur, magno suo dam-  
no.

Q. 1. An & qualiter validè revocetur concessum semel  
alicui privilegium.

Q. 2. Pro quali, oneroso, vel gratioso, hoc privile-  
gium pensendi panes sit habendum? & ex qua causa revoca-  
ri possit?

Q. 3. An Titius, ut reparet hoc damnum occulta com-  
pensatione ex telonio possit uti?